



**Totivs Ivris Canonici Compendivm, Siue, Brevis Svmma In  
Qvinque Libros Decretalivm Sacri Concilii Tridentini  
Decretis Accommodata**

In Qva Ivris Canonici Primæ Institutviones, seu Elementa ita traduntur, vt plurima breuiter ac decisiuè explicentur, & Canonum, Glossarum, ac Doctorum receptorum auctoritate communiuntur ...

**Axel, Johannes Honorius van**

**Coloniae Agrippinae, 1656**

De officio Sacristæ. Titulus XXVI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61552](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61552)

## De officio Sacristæ.

## Titulus XXVI.

## S V M M A R I A.

1 Sacrista post Archidiaconum incumbit custodia sacrorum vasorum vestimentorum ecclesiasticorum, seu totius thesauri.

2 Appellatur etiam thesaurarius seu sacrarius.

Uiso de officio primicerij, dicendum est de officio sacristæ, qui etiam subiectus est archidiacono, & ad eius curam pertinet, post archidiaconum, custodia sacrorum & vasorum, vestimentorum ecclesiasticorum, seu totius thesauri, & luminarium, siue in oleo, siue in cera, consistant; *cap. unico hoc tit.* appellatur etiam & sacrarius & thesaurarius, *c. perlectus in fine 25. dist.*

## De officio Custodis.

## Titulus XXVII.

## S V M M A R I A.

1 Custos sacristæ quasi minister est.

2 Pulsat in horis canonicis signa tintinabulorum.

3 Panem & vinum omni tempore præparatum habere debet.

4 Eleemosinas, absente episcopo, inter fratres diuidit.

5 Custos minus idoneus ab Archidiacono coercetur.

6 Ecclesia consistit in archidiacono, archipresbytero, & Custode.

Custos sacristæ quasi & minister est, & archidiacono subijcitur, pulsat & in horis canonicis signa tintinabulorum, pallia vel linteamina altaris, seu cuncta vensilia ecclesiæ, indefinenter custodit: lampades & lucernas in accendendo, & extinguendo peruigil existit; *cap. 1. hoc titulo.* panem &

& vinum, omni tempore, præparatum habere debet ad missam: omnes & eleemosinas, oblationes, seu decimas, cum consensu archidiaconi, absente episcopo, inter fratres diuidit: *cap. secundo, hoc tit.* nam si præsens est episcopus, per ipsum met, res canonicorum dispensari debent, *cap. Vulturana & c. seq. 12. quest. secundo, cap. statumimus & ibi gloss. in verbo potiore de maior. & obed. & ibi Can. prout cuiusque locum, meritumque cognoscit, & pro officiorum leuitate, & ipse debet constituere æconomum. cap. cum simus 9. quest. 3.* Custos minus & idoneus, ab archidiacono coercetur, ut se emendet: & si indomitus permauerit, archidiaconus episcopo denunciando prouidet, ut indecore eiecto, aptus ecclesiæ minister constituatur; *cap. 1. & si vero hoc tit.* quia incorrigibilis absque accusatione potest remoueri, cum notorium sit eius crimen, *cap. nec licuit 17. dist. Butr. in d. c. 1. num. septimo.* In his & tribus columnis, archidiacono, archipresbytero, & custode consistit ecclesia, *d. c. 2.* In collegiatis ecclesijs ex notoria consuetudine Germaniæ Præpositi sunt maiores Decanis & in litteris apostolicis eis præferuntur, in Francia vero è contra Decani sunt maiores Præpositis, *Rot. decis. 4. numer. 1. in fin. de elect. in nou. faciunt not. per Innoc. in c. de multa n. 6. & 7. de praben. Rot. diuers. decis. 5. 8. p. 1.*

## De officio Vicarij.

## Titulus XXVIII.

## S V M M A R I A.

1 Vicarium qui possint consistere.

2 Vicariorum quatuor sunt species. Quidam sunt Vicarij auctoritate episcopi deputati ecclesiarum parochialium annexarum.

3 Quidam sunt temporales seu mercenarij.

4 Quidam constituuntur ad omnia sibi incumbentia